

Nº 9. HEDWIGIA. 1854.
Ein Notizblatt für fryptogamische Studien.

1) Ad *Diplodiam arachnoideam* Ces. mspt. Tab. V. F. 1. Herb. mycol. N. 1845. et *chaetomioides* Ces. mspt. Tab. V. F. 2. Herb. mycol. N. 1847.

In Lycei Vercellensis palatio permultae aulae inque iis fenestrarum valvae marginesque laricini penitus ex novo anno nunc praeterlapso (1852) confectae sunt, sed autumni tempore, et illico vernice olearia obducti fuerunt. Nebulae densae et vix interruptae per totam hyemem subsecutae sunt; hinc parietes aequae ac partes ligneae, continuo uidae, mycetum phalange longe lateque inquinatae evaserunt, quorum plures omnino novas species praebent. Prae ceteris eminebant Sphaeriaceae, quas nunc mycologis trado distinctissimas, etsi maxima nonnisi difficultate eas quodammodo colligere mihi concessum fuerit. — *Diplodiae arachnoideae* (quam cum *Sph. araneosa* confundere nolimus) pyrenia surgunt e stromate punctiformi byssino radiante evanido nunc minutissima etiam adulta, et tum dense aggregata, nunc grani Sinapeos magnitudine et sparsa magis, semper regularia; e lata basi ovata vel conica, nigra, sed denso tegmine araneoso cinereo velata, nisi papilla obtusa atra emergente, ex qua sporidia basidiogena, didyma, opaca olivacea, cirrhi aterrimi instar conglutinata propelluntur. Papilla demum decedente margo pyrenii pallidior conspicitur. — Ubi ab Hyphomycetibus parasiticis non sit conspurcata, nobilissima species facile intelligitur. Hinc Sphaeriae immixta, sed etiam singillatim plagulas obtegens recurrebat *Sphaeria chaetomioides*, pyreniis valde difformibus, saepe in crustam confluentibus, nigris, junioribus pube olivacea praecipue in vertice vestitis, senioribus subcalvis asperis, sporidia basidiogena, oblonga vel ovoidea olivacea (?), simplicia, primitus gelatina quadam (?) circumfusa, nidulantibus. Num ad Sphaerias, num ad Chaetomia, referam adhuc dubius haereo, quia genesim et fructificationis primordia rite examinare temporum et loci conditio non sinuit.

Vercellis, Jan. — Mart.

Cesati.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Hedwigia](#)

Jahr/Year: 1854

Band/Volume: [1_1854](#)

Autor(en)/Author(s): Cesati

Artikel/Article: [Ad Diplodiām arachnoideam Ces. mspt.Tab. Y. F. 1.](#)

[Herb, mycol. N. 1845 et chaetomioides Ces. mspt. Tab. V. F. 2.](#)

[Herb, mycol. N. 1847. 41](#)